



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. An & quomodo appetibilis sit beatitudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

QVÆSTIO IV.

De Proprietatibus quibusdam Beatitudinis.

Sic constituta beatitudine tum essentiali, tum accidentaliter, præcipuè quædam eius proprietates supersunt, nam omnes persequi longum esset, cum de illius supernaturalitate, ac inæqualitate, dictum sit dum agerem de visione Dei, solæ igitur huius loci propriæ sunt appetibilitas & perpetuitas beatitudinis, de quibus dici brevissimè potest.

SECTIO I.

An & quomodo appetibilis sit Beatitudo.

Duplex
appetitus.

Appetitus alter naturalis appellatur, alter elicitus. Primus est capacitas & inclinatio ad aliquid tanquam ad perfectionem connaturaliter debitam: alter est actus desiderij elicitus à facultate appetente, quaritur hic qualem naturaliter habeamus appetitum beatitudinis, siue à natura insitum, siue ab appetitiua potentia elicitem.

Triplex
dubitatio.

Ratio dubitandi primò est, quia naturalis appetitus versatur circa perfectionem aliquam debitam connaturaliter, & quæ per vires naturales acquiri potest, beatitudo neque connaturaliter est homini debita, neque per vires naturales acquiri potest, ergo non est in homine appetitus naturalis beatitudinis.

Secundò, appetitus naturaliter elicitus, & appetitus supernaturaliter elicitus, differunt in aliquo, sed nihil est in quo differant aliud, nisi quod appetitus naturalis versatur circa beatitudinem naturalem, supernaturalis circa beatitudinem supernaturalem, ergo non est in nobis naturaliter appetitus elicitus beatitudinis supernaturalis.

Tertiò, illud quod naturaliter à nobis non cognoscitur, non appetitur etiam à nobis naturaliter, beatitudo supernaturalis non cognoscitur à nobis naturaliter, ergo naturaliter à nobis non appetitur.

Appetitus
naturalis
beatitudi-
nis.

Dico primò, beatitudinis sumptæ in communi habet quilibet homo appetitum naturalem; beatitudinis autem sumptæ in particulari nemo appetitum habet nisi obedientialem: patet ex dictis quaest. 1.

Ratio enim est, quia beatitudo sumpta in communi est possessio boni quod satiare potest appetitum, abstrahendo ab eo quod illa sit talis, aut talis operatio. Ad huiusmodi possessionem & satietatem appetitus, quilibet homo naturalem habet appetitum, quia sicut per singulas appetitiones volumus ut nobis saltem ex parte bene sit, sic per omnes appetitiones volumus, ut omni ex parte nobis sit bene, naturalem ergo habemus appetitum ad beatitudinem sumptam in communi. Beatitudo autem sumpta in particulari est possessio Dei summi boni per visionem intuitivam, quæ simpliciter est supernaturalis, appetitus naturalis ut dixi est capacitas & inclinatio ad perfectionem aliquam connaturaliter debitam & naturaliter possibilem, ergo non est in homine appetitus naturalis beatitudinis sumptæ in particulari.

Appetitus
elicitus.

Dico secundò, beatitudinis sumptæ in particulari nemo ante reuelationem potest habere appetitum naturaliter elicitem, post reuelationem habere potest.

Ratio est quia demptâ reuelatione non cognoscitur possibilis esse visio intuitiva obiecti, quod in modo elendi elenatum est supra omnem potentiam cognoscentem creabilem; ergo demptâ reuelatione nemo illam appetere potest: suppositâ verò reuelatione promissâ, vel etiam possibilis huius visionis non est dubium quin illa possit attingi actu naturali, sicut certum est quod dæmones actu naturali attin-

gunt multa obiecta supernaturalia: actus enim naturalis habere potest obiectum materiale supernaturale, sed obiectum eius formale in ratione obiecti semper est supernaturale ut in tractatu de Fide disputabitur.

Ad primam Resp. beatitudinem propt sumptam in communi, esse aliquid naturaliter homini debitum & possibile, unde mirum non est quod naturalis appetitus in eam feratur.

Ad secundam Respondent quidam recentiores appetitum beatitudinis elicitem naturaliter differre ab appetitu elicito supernaturaliter, ex eo quod habeant diuersa principia productiua, nam appetitus naturaliter elicitus nullâ indiget gratiâ, sine qua elici non potest appetitus supernaturalis. Sed hoc fusè reiectum olim est, quia effectus non ideò est supernaturalis quia exigit principium supernaturale, sed ideò exigit principium supernaturale quia est supernaturalis: sicut non ideò pondus aliquod est graue quia illud ego non possum tollere, sed ideò illud ego non possum tollere quia est graue. Differunt ergo appetitus isti duo, quia etsi eadem habeant obiecta materialia, imò & eadem obiecta formalia in ratione obiecti habent tamen semper diuersa obiecta formalia in ratione obiecti, quod explicare longum nunc esset, satis hic sit dicere quod appetitus naturaliter elicitus nunquam tendit in beatitudinem propt cognitam ex sola reuelatione, in quam tendit appetitus supernaturaliter elicitus à viatore.

Ad tertiam Respondeo probari eo argumento quod ante reuelationem sicut naturaliter non cognoscitur beatitudo in particulari, sic neque appetitur naturaliter.

SECTIO II.

An & quomodo Beatitudo æterna sit.

Hoc vltimum est disputandum de beatitudine, quod in ea nihil sit vltimum, eximia sanè, neque vnquam satis intellecta Perfectio, supra modum in sublimitate pondus æternum gloria vocatum ab Apostolo, & mirabiliter inculcatum, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna.

Ratio dubitandi est primò, quia beatitudo si æterna est, vel hoc habet ex sola Dei voluntate, vel ex intrinseca ratione operationis in qua consistit beatitudo, neutrum dici potest, quia sola voluntas Dei non mutat naturam beatitudinis, non apparet autem quare visio debeat necessariò æterna esse magis quam aliæ operationes intellectus aut voluntatis.

Secundò, æternitas etiam beatitudinis non potest colligi ex valore operis per quod illam meremur, est enim duratio eius brevissima, quomodo ergo illud compensari non potest condignè nisi per gloriam æternam.

Tertiò, sicut potest quilibet velle desistere ab actu Fidei vel Charitatis, sic potest desistere velle à visione.

Dico primò, beatitudo ut sit vera & perfecta essentialiter ita esse debet æterna ut nec amitti, neque villo modo interrumpi possit. Hæc est constans & Catholica veritas quam Tertullianus l. de Resurrectione carnis, Fidem appellat Christianorum negata olim ab Origene, ut referunt Hieronymus & Epiphanius.

Primò, enim testatur æternitatem nunquam destituturæ gloriæ Deus per omnes Scripturas, Sapient. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent: Regnum tuum regnum omnium seculorum; Illaia 35. venient in Sion cum laude, letitia sempiterna super capita eorum, gaudium & letitiam obtinebunt. Psal. 81. beati qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te. Mat. 25. ibunt hi in supplicium æternum iusti autem in vitam æternam: 2. ad Cor. 4. æternum gloria pondus, primæ ad Thessal. 4.*

Solutio
dubitatio-
num.

Triplex
dubitatio.

Scriptura